

in d porrecta etiam linea a d c in f signum ad complendum diametrum d c f. His ita præstructis manifestum est ex illo Euclideo præcepto. Quoniam quod sub f a d ęquale est ei, quod sub b a e, cum sit utrunq; æquale quadrato lineæ quæ ex a circulum contingit. Sed tota a f data est, cum sint omnia ipsius segmenta data, nempe c f, c d, æqualia ipsi b c, quæ sunt ex centro ad circumcurrentem, & a d qua c a ipsam c d excedit. Quapropter & quod sub b a e datum est, & ipsa a e longitudine cum reliqua b e subtendente circumferentiam b e, Connexa e c, habebimus triangulum b c e Isosceles datorum laterum. Datur ergo angulus e b c. Hinc & in triangulo a b c reliqui anguli c & a per præcedentia cognoscentur. Non secet autem circulus ipsam a b, ut in sequenti figura, ubi a b in conuexam circumferentiam cadit, erit nihilominus b e data, & in triangulo b c e Isoscele angulus c b e datus, & exterior, qui sub a b c. ac eodem prorsus argumento demonstrationis quo prius dantur anguli reliqui.



Et hæc de triangulis rectilineis dicta sufficiant, in quibus magna pars Geodesiæ consistit. Nunc ad Sphærica conuertamur.

DE